

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput I

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

# ADMIRANDA PISCIUM,

## CAPUT I.

### DE ACU, ANTHIA & APHYA seu APUA.

**A**cus piscis rimam sub ventre habet, in qua ova reponi *Rondeletius*, autopsia edoctus, scripsit. Cum enim ejusmodi piscem hyemis initio aliquando secaret, in ea tima multa ova reperit. Ita autem post partum coit, ut coalescere videatur; quod mirum non esse luciorum Anglicorum exemplum ostender. Adeo duro integitur cortice, ut acuto gladio secari vix possit. *Anthia*, ubi se captivos inveniunt, lugent suam mortem, & quodammodo supplices videntur; retibusque insultantes insidias transilire conantur. Asperitate dorfi dissecare lineam, captivosque liberare facios, *Ovidii* & *Plutarchi* autoritate demonstratur. *Aphyia Thalerica* tam mollis est & pinguis pisciculus, ut, si aliquandiu manibus tractetur, liquefiat, aut si magna eorum copia in navibus vehatur, pinguedinem stiller, quæ collecta, lucernarum præbet pabulum. Horum pisciculorum figuras, referente *Suida*, ex rapis feminis in longa & tenuia frustra dissectis, ex oleo coctas, saleque & papavere asperfas, *Nicomedi Bithyniarum Regi*, pro veris proposuit *Apirius*.

## CAPUT II.

### DE ANGUILLA.

**A**nguillas in multis dulcibus aquis inveniri, nemo dubitat: attamen in illis quæ Danubio influunt non reperiri, cum, quæ Rheno illabuntur eas nutriant, *Nauclerus* prodidit. Causam in frigiditatem Danu-